



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Isagoge Sive Introductio Ad Vitæ Spiritualis  
Perfectionem, Omnibus tam Regularibus, quām Clericis  
Sæcularibus, Confessariis, Concionatoribus, & Animarum  
Pastoribus perquām utilis, & specialiter ...**

**Herlet, Johann Georg**

**Sulzbaci, Anno MDC.XCIII.**

§. 3. Cur Deus voluerit plures & diversos esse in suâ Ecclesiâ Status  
Religiosos.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37853**

procuranda suorum salute subditorum desigant.  
Familia ergo Norbertina cœtus est, non Monachorum propriè, sed Canonicorum Ordinis S. Augustini. Ejus vita neq; in sola contemplatione, neq; in sola actione, sed in utrâq; simul posita est; nec suæ tantum, sed & alienæ salutis curam gerit. Habent ferè singula hujus Instituti Monasteria paræcias sibi annexas plurimas, quibus Praefecti seu Pastores è numero Religiosorum dari solent. Quod ut i huic Ordini inter Cæteros penè est proprium, sic & afflictæ Dei Ecclesiæ in hac tantâ honorum Pastorum inopia quàm maxime commodum. Jure itaq; Norbertina Monasteria, fœcunda Parochorum Seminaria quis nuncupet. Sed de his fusiùs suo loco.

## §. 3.

*Cur Deus voluerit plures & diuersos esse  
in suâ Ecclesiâ Status Religiosos.*

PRima causa est Ecclesiæ militantis splendor, dignitas & gloria; ut scilicet tanquam Castrorum Acies benè ordinata, diversis militum Christi signis & Ordinibus præfulgeret. Secunda est Ejusdem Ecclesiæ utilitas. Nam sicut in uno corpore plura sunt membra, ut, quod unum præstare nequit, alterum exequatur: ita in corpore Christi mystico, quod est Ecclesia, Deus plures ordinavit hominum Religiosorum cœtus, ut, quia omnes non possunt omnia præstare, aliqui tractent opera misericordiæ corporalia, alii spiritualia; aliqui in verbo & doctrinâ strenue labo-

A 4

labo-

laborent, alii Orationi & Divinis Laudibus va-  
cent; sicut in primitivâ Ecclesiâ DEUS posuit  
quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas,  
Alios verò Evangelistas, Alios autem Pastores &  
Doctores. Ephes. 4. Tertia causa est, ut satisficeret  
diversis hominum desideriis, complexionibus  
& inclinationibus. Nam aliqui solitudinem a-  
mant, alii Societatem & plurium consortium:  
Alii delectantur psalmodia, alii studiis litera-  
rum, alii aliis exercitiis. Quarta causa est ne-  
cessitas Ecclesie militantis; ut videlicet novis  
hæresiarchis & adversariis exurgentibus novæ  
recentesq; Copiæ opponantur, armis conve-  
nientibus instructæ; & in veteranorum, tepe-  
scentium ac deficientium operariorum locum  
alii novi & ferventes substituantur. Sicut de  
S. Ignatio Societatis JESU Fundatore testatur  
Breviarium Romanum, quod constans fuerit  
omnium sensus, etiam pontificio confirmatus  
oraculo, Deum, sicut alios aliis temporibus san-  
ctos viros, ita Luthero, ejusdemq; temporis hæ-  
reticis Ignatium & institutam ab eo Societatem  
objecisse. Et de S. Norberto scribit Aubertus  
Miræus in epist. dedicat. Chron. Præmonst. Ut  
Simoni olim Mago Simonem Petrum Apostolorum  
Principem, Ario Athanasium, Nestorio Cyrillum,  
Joviniano, Vigilantio Elvidio Hieronymum, Pela-  
gio & Mani Augustinum, sic Tanchelino Norber-  
tum opposuit. Quod etiam confirmat Lauren-  
tius Beyerlinck in Theatro vite humanae, di-  
cens: Clericorum Candidæ Militiae Ordo hoc Duce  
(Norberto) surrexit difficillimis Ecclesie tempo-  
ribus

— 62 —

ribus, quando Sacramentariorum & Adamitarum  
hæresis passim increbuerat: Cui sternenda novum  
velut Alciden hunc misericordiarum Pater præ-  
paravit, qui novos milites in castra educeret, ho-  
stem imminentem gladio spiritus profigaret. &c.  
Quibus aliam Ecclesiæ necessitatem adjungit  
Joannes Antonius à Gurnetz, Congregationis  
Oratorii Ordinis Presbyter in Lacâ partheniâ  
c. 43. his verbis: Malo Socordia Parochorum latè  
grassanti, & in Orbem infeliciter diffuso, Deipa-  
ra per S. Norbertum atq; ejus Ordinem Candi-  
dum succurrit. Evidem Princeps Instituti Nor-  
bertus Canonicum ac Monasticum vita genus con-  
jungens, contemplatricis & practicæ exercitatio-  
nis studiis Alumnos suos informabat, quò in  
omnem partem Ecclesiæ (que conditio tunc erat  
remissa temporum) Divinis Laudibus ardentissi-  
ma Charitate promendis, prædicatione verbi  
Dei, & Parochiarum sollicitâ administratione,  
fructibus præclaris redundantibus, citò mutatis  
in melius moribus, alia Ecclesiarum facies ubiq;  
resplenderet. Quod ita per eos factum est. &c.

#### S. 4.

#### De Origine Monachorum.

**F**uit Status Monasticus adumbratus jam &  
præfiguratus in lege Naturæ, & Moysis:  
Nam quod Deus olim dixit ad Abraham Genes.  
12. Egressere de terrâ tuâ, & de Cognatione tuâ,  
& de domo patris tui, & veni in terram, quam  
monstrabo tibi. Et quod Regius Psaltes ait ad  
A s animam